



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Ad lectorem benevolum Christi crucifixi cultorem & amatorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](#)



Ad lectorum benevolum Christi crucifixi cultorem & amatorem.

## I.

**R**ecet Vates Regius: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Quæres hic, Lector prudens, quis sit ille egenus & pauper, super quem debemus intelligere? Respondent S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus, Bellarminus & alii: Christus & hic crucifixus est ille pauper & egenus, super quem primariò debemus intelligere: pauper in nativitate inter duo jumenta reclinatus, pauper per omnem vitam, pauper, imò pauperrimus in cruce inter duos latrones nudus suspensus, & pro omnium salute mortuus. O verè beatus, qui intelligit super hunc egenum & pauperem: *In die mala, hoc est, in die mortis & judicii, liberabit eum Dominus.* Audi Eminentissimum Cardinalem Bellarminum: *Beatus, inquit, qui intelligit super Christum pauperem, nudum videlicet in cruce pendentem, id est, qui attentè cogitat passionem ejus: infinitus enim thesaurus paratus est Christi passionem, ut par est, intelligentibus, & diligenter meditantibus.*

Ps. 40. v. 2

Le Blanc  
hicBellarmia,  
hic in Psal.  
40. v. 1.

Ginther Unus pro omnibus.

)( a

II. Et

## II.

Ethic est finis scriptoris meæ, ad quem in hoc quarto opusculo meo collimavi, proponere nimurum omnibus Christum JESUM & hunc crucifixum ad meditandum, prædicandum, amandum, colendum & imitandum; quia inter omnia veræ pietatis exercitia nihil præstantius, nihil DEO gratius, nihil homini utilius, quam meditari de crucifixo IESU, omnia enim hic habemus in uno, qui *Unus pro omnibus* mortuus est: *Non judicavi*, ait gentium Doctor Paulus, *me scire aliquid intervos, nisi IESUM Christum, & hunc crucifixum.* Sufficiat ergo nobis hæc scientia: *Si IESUM discis, satis est, si cætera nescis.*

## III.

Habet ergo hic cumprimis Venerandus Sacerdos quam sequatur ideam. Sicut enim Pictor, qui ex alio prototypo imaginem exprimere & imitari satagit, exemplar suum continuò respicit, juxta quod lineas suas format, ducit & componit: Ita Sacerdos tum sæcularis, tum regularis Christum pro nobis palsum & crucifixum, tanquam perfectissimum suarum actionum ideam & regulam quotidie intueri debet, juxta quam viræ suæ normam & vocationem dirigat: *aspicientes* ( ait Apostolus ) *in auctorem fidei & consummatorem IESUM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptam.*

## IV.

Habet & verbi divini Praeco, quem prædicet, & populo Christiano annuntiet; qui pro objecto non aliud ab eodem Apostolo quam Christus IESUS & hic crucifixus præscribitur: *nos prædicamus Christum crucifixum.* In hunc finem majores nostri prudenter ordinârunt, ut in cathedra imago quædam devota crucifixi Redemptoris nostri collocaretur ad admonendum concionatorem, quem populo intimare, ac prædicare debeat, & tanquam efficacissimum omnium virtutum exemplar propo-

nere:

1. Cor. 2.

v. 1.

Heb. 12.

v. 2.

1. Cor. 1.

v. 23.

nere: nihil enim obdurata hominum corda magis movere,  
mentesque efficacius ferire solet, quām sermo devotus de pa-  
tiente & crucifixo JESU: *vivus enim est hic sermo DEI & effi-*  
*cax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque*  
*ad divisionem animæ & spiritū.*

Hebr. 4.  
v. 13.

## V.

Habet insuper & homo sacerdotalis exemplar, quod ipsi in monte Golgothæ monstratum est, quod in vita & in morte imitetur: Et sicut ille, qui in mari periculo navigat; ad certum aliquod cœli fidus solet attendere, juxta quod cursum suum dirigit, ne à portu sibi proposito aberret: Si homo Christianus in tot animæ, corporisque constitutus periculis, si in hoc mari magnō & spatiose hujus mundi à vero beatitudinis portu aberrare non velit, pro cynosura sua crucifixum JESUM sibi proponat, cuius auxilio protectus, semper tum in vita, tum in morte intrepidus stabit: *Ubi tuta,* (subintrat hic S. Bernardus alioquens animam fidelem) *firmaque securitas, nisi in vulneribus* *Salvatoris?* tanto illic securior habitas, quanto ille potentior est ad salvandum. *Tremat mundus, premat corpus, diabolus in-*  
*sidietur, ne time, quia in foraminibus petræ secura es.*

S. Bernard.  
ser. 61, in  
Cant.

## VI.

Habent denique mortales omnes, dives & pauper, ac omnes in unum in hoc crucifixo JESU aliquod speculum, in quod sæpius intueantur, & omnes actiones suas ad majorem illius gloriam dirigant. Et sicut olim in tabernaculum ingredientes, prius vultum suum in æneo ac nitidissimo speculo debebant considerare, ut si quid maculosi in corpore invenirent, illud quantocumque corrigerent, atque emendarent: Ita, inquam, mortales omnes faciant, & sæpius de die, ac præsertim tempore temptationis aut tribulationis oculos in piam quandam crucifixi Salvatoris imaginem, domi in honorato loco expositam, con-

Exod. 32.  
v. 8.

( a 2 ) jiciant,

jiciant, ubi in veritate illud experientur, quod ipse Christus sanguinum Sponsus sanctis Virginibus Gertrudi, Mechtildi, & Catharinæ Senensi multoties revelavit afferendo: *quoties anima fidelis crucifixi Salvatoris imaginem aspicit, ejusque SS. vulnera in memoriam revocat, toties vicissim divinæ misericordiæ oculos in ipsam reflecti, & efficaciter converti.*

Lud. Blof.  
spirit. c. 12.

1. Cor. 10.

v. 1.

Math. 7.

v. 24.

Et hoc est amice Lector, quod in hoc tenui meo opusculo te priùs monere volui, in quo non eleganti verborum apparatu auribus tuis placere, sed potius humili, non tamen indigno stylo ( prout Christi passio requirit ) in amore crucifixi Salvatoris tui cor tuum ferire studui. Tu si sapiens es, supra hanc petram ædifica. *Petra autem erat Christus.* Talis homo, ait ipsa veritas Christus: *assimilabitur viro sapienti, qui ædificat domum super petram, & descendit pluvia & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra petram.* Ecce quām tutum ac securum sit tum in vita tum in morte cum mystica illa columba nidum suum in hac firmissima petra collocasse. De reliquo omnia, quae in hoc opere continentur, censuræ sanctæ Matris Ecclesiæ humiliter subjicio. Vale, & hoc elogium Antitheticum languentis, patientis, morientis Christi, quod Ferdinandus III. Augustissimus Imperator inter tot Imperii, Orbisque curas quotidie ad pedes crucifixi meditabatur, tibi familiare redde, & Imperatorem tuum imitare, nunc Carolum VI.

## VIII.

Tristatur in horto lætitia Angelorum. Affligitur in anima refectione animarum sanctorum. Solatur Angelus foliatum afflitorum. Traditur furori luporum mansuetissimus Agnus. Capitur quem cœli & terra capere non possunt. Ligatur qui nostra solvit vincula. Judici præsentatur Judex vivorum & mortuorum.

Oratio  
quotidiana  
Ferdinandi  
III. Imper.  
contra Cruci-  
fixo, &  
nunc Caro-  
li VI.

tuorum. Negatur à Petro petra ipsa Christus. Facies illa ve-  
latur, in quam desiderant Angeli prospicere. Falsò accusatur  
veritas æterna: Non respondet verbum, per quod Verbum  
facta sunt omnia. Indecorè nudatur, qui vestit universa. Tre-  
mit, coram quo tremunt Potestates. Dirè flagellatur Domi-  
nus in similitudinem servi factus. Ignominiosè coronatur Rex  
Regum, & Dominus dominantium. Stultitiae insimulatur Sa-  
pientia Patris. Nocens dimittitur, Innocentia damnatur. Pon-  
deri crucis succumbit, qui tribus digitis appendit molem terræ.  
Crucifigitur tanquam latro ipse DEI Filius. Moritur DEUS  
homo factus, ut te hominem deificaret; & immortalem red-  
deret. Morere & tu concupiscentiis tuis, ut vivas Christo.  
Morere mundo, ut vivas cœlo. Morere tibi ipsi, & omnibus  
affectibus pravis, ut vivas DEO pro te mortuo in cruce.

**Oratio Ecclesiæ.**

**R**espice, quæsumus Domine, super hanc fa-  
miliam tuam, pro qua Dominus noster  
JESus Christus non dubitavit manibus tradi no-  
centium, & crucis subire tormentum, qui  
tecum vivit & regnat in sæcula  
sæculorum, Amen.



X 23

IN-